

1994  
A

7387

3: 2x 56



*Q.D.B.V.*  
COLLEGII PUBLICI  
DISPUTATIO XIV.

*De*  
**DELICTIS PRI-  
VATIS,**

*Ad*  
*Tit. I. & seqq. Lib. IV. Inst.*

*Qvam*

IN ALMA FRIDERICIANA,  
SUB PRÆSIDIO

**DN. JOAN. SAMUELIS STRYKII,**  
J. II. Licentiati & Prof. Publ. Extraord.

*In Auditorio Majori*

*die XV. Julii A. R. S. MDC XCIII.*

publicæ ventilationi  
submittet

**CASP. CORSWANT,**  
Greipsw. Pomer.

*HALÆ,*

TYPIS CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.  
TYPOGR.





I. N. J.

Th. I.

**S**ullibi, certe hic vapulat Tri-  
bonianus à Dd. Hotomanno videlicet, *Antonio*, a-  
liisque, existimantibus, uno libro potuisse ab-  
solvi tractatum de obligationibus, qui in du-  
os libros disceptus. Illis tamen satisfactum  
a Wesenbec. §. 4. proem. *Inst.* & Giphan. in tit.  
*de Verb. oblig. ad rubric.* n. 2. & 3. Nos quoque in methodo ab Im-  
peratore approbata per §. 10. const. *Tanta de Confirm.* ff. subsistimus.  
& aliam obligationem ex facto lictio, aliam ex facto illicito, quæ  
uno verbo delictum dicitur, resultare putamus, ut adeo non ab-  
surdum yideatur, has obligationes separatim, & eodem quidem  
libro, qui de publicis delictis & criminibus ageret, tractare.

Th. II.

Obligationem igitur non ex contractu saltem, sed etiam ex  
delicto venire, ex modo dictis patet. Cum autem obligatio absque  
consensu oriri nequeat, acerrima Dd. disputatio est, utrum in de-  
lictis consensus delinqventis concurrat? Negat id maxima pars,  
inter quos B. Zieglerus *ad Grot.* L. 2. c. 20. §. 2. & Lauterbach. in *Diss.*  
*de Voluntat.* th. 5. Nos, pace illorum, contrarium defendimus.  
Novit enim delinqvens, se isto delicto pœnam quandam mere-  
ri, quamquam etiam interdum ignoraret, qualis pœna futura esset.  
Et licet hic Pufendorfius *J. N.* & *G.* l. 8. c. 3. §. 5. regerat, semper  
quem delinqvere cum spe quadam, sese latendo, aut alia ratio-  
ne, pœnam declinaturum: Nihilominus tamen conditionate  
in pœnam consentit, si nimis illa spes eum fefellerit. Vi-  
deatur omnino Dn. Hoppius in *Comment.* ad *Inst.* tit. *de Obl.* quæ ex  
delicto, princ. p. 600.

A 2

Th. III

### Th. III.

Utrum furtum juri N. contrarium sit, nec ne, disqvfrunt Dd. Affirmativa verior nobis videtur, cum Imperatore in §. 1. f. de Oblig. quæ ex delict. Qvamvis enim, qvod illa res mea sit, ex jure N. non dependeat, postqvam tamen mea facta, Juri N. contrarium est, ut mihi invito auferatur. Eleganter in hanc rem Cicero L. 3. de Offic. Illud natura non patitur, ut aliorum spolis, nostras facultates, copias, opes, augeamus: confer. Grot. de J. B. & P. L. 1. C. I. §. 10. n. 4.

### Th. IV.

Sed annon necessitatis tempore licitum sit furtum, non una omnium est sententia. Negativam defendit Ant. Martini de Criminib. ad L. 47. ff. tit. 1. C. I. n. 7. consentiunt cum eodem Tabor Racem, Crim. 3. §. 36. B. Zieglerus ad Jus Can. l. 4. tit. 6. §. 2. Bœcler. ad Grot. l. 2. c. 2. p. 66. Nobis tamen contraria sententia & verior, & æquior videtur, si supponamus, nullum aliud viæ subsidium superesse: me Domini auxilium precibus debitissimis implorasse: illum etiam re sine incommodo evidenti carere posse, ac tandem judicis copiam non esse. Alter ergo, cum de J. N. ad necessitatem meam sublevandam teneatur, quis neget, me posse qvod mihi debetur, absente Judge, propria auctoritate occupare? Dn. a Pufend. d. J. N. & G. l. 2. c. 6. §. 5. & 6. Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 2. §. 6. Si tamen iste ad meliorem fortunam redierit, ad restitutio nem rerum furto ablatarum tenetur. vid. B. Brunnem. de J. Ecclesiast. l. 3. c. 16. n. 38. Steph. Fagundez ad Decal. præc. 7. c. 26. n. 50 seqq. Bellarmin. T. III. l. 3. de bon. Operib. n. 5.

### Th. V.

Ista controversia celebris est & elegans, utrum qvid clam auferre liceat, ut Eleemosynæ sufficiant pauperibus? Impias tales Eleemosynas vocat Wilh. Anton. de Freund. de Rescript. Moral. Concl. 48. n. 60. Qvodsi tamen casum cum Moralistis supponamus, in Uxore, qvæ marito avaro nupta, nec ut ipse in pauperes qvid. qvam impetrare poterat, nec ipsa qvod expenderet habebat,

bebat, tum nihil injusti subesse credimus. Nam & maritus illi ad alimenta, pro conditione sc. ipius mariti, obligatur: ad alimenta vero sine dubio Eleemosynæ pertinent; utpote sine quibus nec honeste, nec Christiane vivere potest uxor. Cessat ergo furtum ubi animus lucrificandi cessat. vid. B. Dn. Brunnemannus d. J. Eccles. t. 2. c. 16. §. 39. Lessius de J. I. 2. c. 26. dub. s. n. 37. Diana Resol. Moral. Tr. 7. Res. 34. & seqq.

### Th. VI.

Solam visionem sine acclamatione ad furtum manifestum non sufficere certum est per L. 7. §. 1. ff. de furt. Et est §. 3. J. de obl. qvæ ex del. omnino explicandus ex dict. L. 7. §. 2. de eo sc. casu, ubi ad apprehendendum furem accursum est, & is abjecto furto in fugam se contulit.

### Th. VII.

Furtum etiam rei minimæ fieri, constat ex §. 16. J. de R. D. eum hic non rei, sed atrocitatis facti ratio habeatur. Neque in contrarium argumentari licet ex L. 9. 10. & 11. ff. de dol. mal. Alia enim ratio est actionis dolii, alia furti: Hæc quippe ordinaria est, illa subsidiaria & extraordinaria. Accedit, qvod dolus facilius præcaveri possit, quam furtum, ubi ab ignoto clam invito & ignorantie res subtrahitur, qvod utique gravius puniendum. Denique actio dolii tendit ad rescissionem negotii ipso jure validi; quam jura nostra ob rem minimam non concedunt.

### Th. VIII.

Odio furum plures actiones introductæ sunt, scil. (1) Rei vindicatio, (2) actio ad exhibendum (3) condicō furtiva & (4) actio furti. Hæc vero actiones cum elective competant, omnino consultius est, si rei restitutionem intendere velim, eligere potius condicō furtivam, quam rei vindicationem, cum illa etiam detur re perempta, & contra heredem competit, etiamsi nihil ad ipsum pervenerit L. 9. ff. de condic. furtiv. Qvæ omnia in rei

vindicatione cessant. Et quamvis hæc condic̄tio domino tan-  
tum detur L. i. ff. d. t. sufficiet tamen hic allegatio dominii vel qua-  
liscunque demonstratio, juxta Bachov, de Act. Disp. 4. Th. 23. pr.

### Th. IX.

Solet hodie furibus pœna patibuli dictari, de ejus tamen  
justitia ingens est Dd. conflictus. Abolendam eam esse e Rep.  
statuit Amesius de Casib. Conscient. l. 5. c. 2. Wissenbach. ad ff. Vol. 2.  
Disp. 29. th. 18. Placet tamen eorum sententia, qui pœnam hanc ab  
omni iniqvitate liberant, cum indubitatum sit & pro fundamento  
habendum, licere Principi delictum contra Legem divinam mo-  
ralem commissum, gravissima pœna, etiam mortis, punire: con-  
tra crimina enim armari debent jura gladio ultore L. Cum Vir nu-  
bitzi. C. ad L. Jul. de Adult. Illi sane frustra sunt, qui Exemplum  
Reip. Judaicæ nobis opponunt, ubi non nisi pœna pecuniaria  
dictata furibus: quasi vero LL. Forenses nos etiam hodie obli-  
garent. vid. Mart. Chemnit. in Loc. Theol. P. II. Precept. 7. in fin.  
An vero corpora furum in patibulo relinqui recte possunt? vid,  
pro affirmativa Casp. Erasm. Brochmand System. Univ. Theologie  
T. III. Art. de Morte, casu ii,

### Th. X.

Qui pœnam patibuli furibus irrogandam nec Syracidis tem-  
pore incognitam fuisse existimant, frustra configuiunt ad Ejus-  
dem Cap. 20. vers. 27. quero Lutherus ita effert: Ein Dieb ist nicht  
so böse als ein Mensch/ der sich zu Lügen gewehnet/ aber zu leht können  
sie beyde an den Galgen. Moribus enim Germanicæ non textui  
originali hic se conformavit Lutherus. Ita enim Græcè sonant  
verba: αὐθέτεροι δὲ ἀπόλειαν κληρονομήσουσιν; qvod Vatablus  
vertit: Pernititem uterque contrahet. Et Vulgatus Interpres; per-  
nititem hereditabunt.

### Th. XI.

Ista adhuc restat magni momenti quæstio: An, suspenso  
licet sure, heredes nihilominus conditione furtiva conveniri,  
pos;

possint? Affirmativa nobis arridet. Per suspendium enim Reip  
qvidem satisfactum, nihil vero prodest ei, cui res ablata, qvod  
fur suspensus. vid. Zieritz ad *Const. Crim.* art. 219, Ludov. a Pegye-  
ra Dec. 27. in addit.

### Th. XII.

Ad rapinam nunc progrediendum, ubi merito mirandum  
videtur, qvare raptor pena tripli tantum teneatur, fur vero qua-  
drupli, cum tamen sine dubio major vis per rapinam sinferatur  
qvam per furtum, adeoque etiam illud delictum majori pena  
coercendum sit, qvam hoc per *Pr. J. de Vibon. rapt.* Sed accurate il-  
lud dubium resolvit Excellentissimus Dnus. Thomasius in *Disp.*  
*de Usu Att. Penal. Jur. Rom. in For. German.* Qvijcqvad sit, cum fe-  
re semper, (Excipidus enim casus singularis in L. 80. §. 4. ff. de  
furt.) actio furti hic concurrat L. 80. §. 3. ff. de fart. consultius o-  
mnino erit, actione furti manifesti experiri, hæc qvippe perpetua  
est, actio vi bonorum raptorum vero tantum annalis, L. 2. §. 13.  
ff. b. t.

### Th. XIII.

Qvod de pena tripli diximus, illud communiter limitatio-  
nem patitur, nisi judæus contra Christianum agat, ubi pena du-  
plitantum obtinet per L. 6. C. de pagan. Sed si ad verba dict. 16. respi-  
ciamus, apparebit exinde, specialem ibi casum esse, si sc. Christia-  
nus Judæorum vel paganorum qviete viventium sacra turbave-  
rit, & ita ipsis qvid rapuerit. Hic enim excusandus aliquo  
modo est talis raptor, qui ob Zelum Religionis talismodi delictum  
patravit: Confer. Peretz. in C. tit. de pagan. n. 3. Qvod tamen me-  
rito ad bona mobilia direpta restringit B. Dn. Brunnemann. in  
*Comm. ad dic. L. 6.*

### Th. XIV.

Damnum injuria datum an ad verum delictum referendum  
sit, an ad qvasi delictum, dubium est? Nos ad utrumque referri  
posse statuimus cum Pacio in *Isag. Instit. de oblig.* qvæ ex qvasi del.  
Qvod

**Q**vod si enim damnum injuriæ dolo committatur, vero delicto annumeramus, si culpâ, quasi delicto, vid. Coll. Jurid. Argent. ad L. Aqvil. Th. 5.

Th. XV.

Affensum non meretur Valerius Differ. utr. for. tit. *Damnum diff. 1. n. 1. & 2.* Ubi vult, in conscientia neminem obligari ad restitutionem damni, qvod non ex dolo vel lata culpa datum est. Sane salva hic ejus conscientia esse non potest, qui tale factum ex quo alter lædi poterat, commisit. Justa igitur cum hoc casu sit Lex civilis, sine dubio etiam in conscientia obligat, vid. Covarruv. de Matrim. p. 2. c. 6. §. 8. n. 16.

Th. XVI.

Constat igitur, aetione L. Aqviliæ etiam levissimam culpam recte vindicari L. 41. ff. ad L. Aqvil. Controvertunt tamen valde Dd. utrum de qvolibet damno levissima culpa dato hoc intelligen- dum sit, an vero tantum pro ratione materiæ substratæ, si natura contractus præexistentis exactissimam diligentiam reqvirat? Po- steriorem tanquam communem sententiam tenent, Struv. Ex. 14. Th. 20. Lauterbach. in Colleg. Theor. Praet. tit. ad L. Aqvil. §. 9. aliq. Veriore tamen putamus priorem sententiam, cum aliud sit age- re aetione L. Aqviliæ, ubi damni tantum, non contractus præ- existentis ratio habetur; aliud agere aetione ex contractu, ubi illa tantum culpa vindicatur, qvæ alias in illo negotio, super quo litigatur præstanta est. Vid. Illustris Dn. Strykius in Disp. de Incendio Casuali pos. 7. n. 15. qvæ habetur in V. I. Disp. VII.

Th. XVII.

Verum cum per damnum injuria plerumque nobis inferatur (tunc sc. si ex proposito nobis datum, secus si culpa) aetio- ne injuriarum experiri utilius erit. Siqvidem contumelia, qvæ gravior pierumque est ipso damno, accidente judiciis moderatio- ne, prolubita æstimari potest ab injuriam passo vid. §. 10. f. de in- jur. Cum è contra per aetionem L. Aqviliæ tantum damnum datum reparetur.

Th. XIX.

### Th. XIIIX.

Medicum, si per imperitiam aut negligentiam aliquem occiderit, ex L. Aquilia non modo, sed & secundum *Constit. Crim. Ca-*  
*rol. V. art. 134.* puniri posse, statuimus: Asserti eqvidem illius veritatem non in dubium vocamus:

*Non est in Medico, semper relevetur ut ager,  
Interdum docta plus valet arte malum.*

Interim tamen nemo debet affectare id, qvod non intelligit, suam  
vero quisque intelligere debet imbecillitatem; Ne verum maneat  
illud Plinii: *Soli medico hominem occidere impune est.*

### Th. XIX.

Illud etiam singulare est, qvod Auriga, qui propter naturæ  
infirmitatem equos retinere non potuit, ex damno inde dato L.  
Aquila teneatur. §. 8. *Inst. de Lege Aquilia & L. 8. §. 1. ff. eod.* qvorum  
pertinet elegans ratio adjecta in d. L. 8. affectare quisque non debet,  
*in quo vel intelligit, vel intelligere debet, infirmitatem suam alii*  
*periculosa futuram.*

### Th. XX.

Si homo liber vulneratus sit, utiliter agi potest ex L. Aquila ad estimationem usus laeti membra, ubi simul computatur  
damnum præteritum & futurum, ex operis scilicet neglectis: cu-  
jus rei exempla vide sis in Christoph. Besold. *Thesaur. Pract. voc.*  
*Abtrag.* Qvæ estimatione, cum sepe excrescere satis possit, v. g. si  
operatio brachium dextrum fractum, habebimus hic casum, ubi  
minus nocet occidisse, quam vulnerasse.

### Th. XXI.

In estimatione vero deformitatis aut cicatricum ratio ha-  
beri non debet, per L. fin. ff. de his qui effud. l. dejec. Exceptionem  
tamen hujus rei Dd. formant in Virgine, qvia huic ingens satis  
damnum contingit, dum ei forma & gratia oris pro dote est, ut  
adeo postea & quæ commode nubere non possit,

B

### Th. XXII.

### Th. XXII.

Si quis alterius viui bonitatem miscendo corruperit, tene-  
ri eum ex L. Aqvilia, docet §. 13. *Inst. de L. Aqvilia*. Perrinet huc  
quod in *Const. Maximil. I. de Ao. 1500. Rubrica* von den Fuhrleuten con-  
stitutum, quod si pro vino dolis extracto aqvam immiserint,  
pœna vel corporali vel pecuniaria sint afficiendi, vid. Marqvard. *de*  
*Jure Mercat. L. 2. c. 3. n. 52.* Sed dolendum vehementer est, quod  
harum Legum optimæ constitutiones tam raro observentur, &  
nullæ earum fiat execuſio.

### Th. XXIII.

Mulierem quoque, si in rem viri damnum dederit, actione  
Legis Aqviliæ conveniri posse, asseritur in L. pen. ff. b. t. Cum hæc  
actio famosa non sit, quia culpa præcipue per eam vindicatur, vid.  
L. 7. ff. de publ. Jud. casum vide in L. 27. §. 30. ff. an L. Aqvi.

### Th. XXIV.

Insignis & controversa admodum quæſtio est inter Dd. an  
illi qui contra vicinum agit, in cuius ædib⁹ ignis exortus, proban-  
da sit culpa ipsius vicini, an vero præsumtio contra patrem fami-  
lias militet, ut adeo diligentiam suam ipse docere debeat? Prioris  
cum communi Dd. opinione affirmat Gail. 2. obf. 21. n. 3. Posterioris  
vero rectius cum Carpz. par. 1. quæſt. 39. n. 58. & seqq. statuit Vinni⁹.  
Lib. I. quæſt. 33. quam sententiam confirmat Dn. Stryk. in dict. Diff.  
de incend. cas. pos. 6. n. 7. & seqq.

### Th. XXV.

Injuria utut delictum regulariter privatum sit, non tamen  
contra juris principia erit, si delictum publicum certo casu esse  
dixerimus, quod tunc contingit, si Magistratus pro tribunali se-  
dens, vel Ecclesiæ minister sacra administrans injuriis afficiatur,  
ubi si sacra turbentur, pœna etiam capitalis irrogari poterit per Art.  
Sed novo Jure C. de Episc. & Cleric. Imo post Edictum Elect. Bran-  
denb. Ao. 1688. contra Duella promulgatum, omnino publicum  
crimen est Injuria.

### Th. XXVI.

### Th. XXVI.

Neque filio per patrem, neque uxori per maritum, neque sponsa per sponsum ulla injuria infertur *per L. 17. §. 10. & seqq. L. 2. & L. 15. §. 24. b. t.* Qvod in uxore quidem clarissimum est, ob rationem in dict. L. 2. b. t. quia defendi uxores a viris non viros ab uxoribus et quum est. Nisi tamen injuria illata tangat simul uxorem *L. 11. §. 8. ff. eod. e.g. si maritum Lenonem vel Cornigerum qvis vocaverit.*

### Th. XXVII.

Qui per contemptum alteri vitium naturae opponit e. g. tecum forte in rixa coecum appellando, injuriarum conveniri potest; Non enim impunè ferat, qui errantis naturae vitium, non tam homini, quam creatori ejus exprobraverit. Verba sunt Wilsenb. *adff. Vol. 2. Disp. 30. Th. 13.* Qvod si quis alterum in opprobrium monoculum vel luscum dixerit, idem obtinere existimaverimus cum Carpz. in *Prax. Crim. p. 2. q. 96. n. 34.*

### Th. XXIX.

Iram in iniuriis a dolo excusare statuit Wesembec. *adff. b. t. n. 4. aliique.* Nos hanc sententiam probare non possumus, ob expressum textum in *L. Si non convitiis. C. de Injur.* qvod tamen de inconsulto calore intelligo: nam justa irae causa minuere videatur injuriam. vid. *Const. Cim. Art. 137. v.* aber nach &c. Carpzov. in *Pract. Crim. P. III. qu. 147. n. 45. & sq.*

### Th. XXIX.

Ministri Ecclesiarum nonnunquam recte injuriarum conveniri possunt, veluti si privatis affectibus indulgeant, ac non consideratis admonitionis gradibus, quos Christus iis prescripsit, in aliquem publice e suggestu invehant, ac vivis quasi coloribus depingant. vid. *Recess. Imp. de Ao. 1530. §. Wir haben vers. Predigeri ibi: sollen sich schändens und schmähens enthalten add. Rec. Imp. de Ao. 1542. S. damit aber unter den Gemeinen vid Carpzov. Pr. Crim. qu. 96. n. 19.*

### Th. XXX.

Non præteriunda quæstio, an Judex, si per aquam de magia suspectam probaverit, injuriarum actione a tali scemina conveniri queat? Et cum in L. 32. ff. de injur. expresse dicatur, etiam judicem si per injuriam quid fecerit, hac actione teneri; Judex vero tali exploratione utens, sciat, aut scire saltem debebat, hæc remedia plane improbata esse, cum Deus ipse per ea tentetur, Dn. Beccm. Diff. de Jud. Dei cap. 6. §. 5. Non potest non dici injuriam parti intulisse, adeoq; affirmativam tuendam esse arbitror cum Oldk, obf. Crim. Tit. 4. obf. 13. n. 4.

### Th. XXXI.

Si Divinator vel Astrologus ad consultationem alterius furem vel homicidam aliquem dixerit, an huic actio injuriarum competat, disqviri meretur? Affirmandum videbatur ob L. 18. ff. de Injuriis. Negativa tamen verior, quia ejusmodi ariolus animum injuriandi non habet, L. 15. ff. de Injur.

### Th. XXXII.

Actionem injuriarum estimatoriam cedi alteri non posse verius videtur, quia illa non persequor quod mihi abest, sed meram vindictam. Unde in L. 28. b. t. & L. 32. pr. ad L. Falcid. dicitur, actionem injuriarum non esse in bonis. Aut enim cedenda esset ante litis contestationem, & sic non est in bonis, quia actori usque ad litis contestationem mutare libellum & vel civiliter vel criminaliter agere integrum est; aut cedenda esset post litis contestationem & sic quamvis in bonis sit, cedi tamen negavit, quia cedetur actio litigiosa.

### Th. XXXIII.

Action revocatoria seu ad palinodiam Civilis est & penalis, non rei persecutoria, neq; famosa. Civilis est, quia tendit ad privatum actoris interesse. Et inde in Camera Imperiali recipitur, Gail. 1. Obf. 65. n. 5. Penal is est, quia cum fama injuriati per injuriam illatam non laeditur L. un. in fin. C. de famos libell. revera etiam ni.

nihil ex patrimonio abeat, qvòd perseqvi possit. Utrum famo-  
sa sit, gravior controversia est? in qua sibi contrarius Carpz.  
p. 2. qvæst. 94. n. 65. & p. 4. Conf. 42. Def. 13. n. 3. junct. def. 16. n. 21.  
Nos negativam defendimus, ex ratione, qvia nullibi dispositum  
hac actione conventum & condemnatum infamem fieri debere.

#### Th. XXXIV.

An hæc actio cum actione famosi libelli cumulari possit, con-  
trovertitur? Affirmativa verior est, qvia hæc actiones non ad i-  
dem, sed ad diversa tendunt, cum actio revocatoria civilis, actio  
famosi libelli vero Criminalis sit, licet hac parte dissentias Carpz.  
P. 4. C. 44 D. 5. n. 6.

#### Th. XXXV.

Per deprecationem Ecclesiasticam, a moribundis fieri soli-  
tam, actionem injuriarum tolli probat Bacchov. ad §. fin. 7. de in-  
jur. neque hic distingvendum, inter remissionem vindictæ & ran-  
coris animi, cum injuria sine animi rancore vindicari nequeat.  
Damnanda igitur penitus, impia illa & nullo homine, ne dicam  
Christiano, digna sententia, qvam fovet Steph. Fagundez. in De-  
cal. T. II. l. 8. c. 17. n. 16. ubi rancorem qvidem animi remittendum  
esse docet, sed ipsam satisfactionem sive vindictam, non teneri  
injuriatum alteri remittere, nec etiam veniam cum lacrymis injuriante  
petente. Sola salutatio amica tantæ efficaciam est, ut actionem  
injuriarum nondum intentatam penitus tollat, multo magis igit  
tur idem asserendum de publica illa per sacerdotem facta remis-  
sione.

#### Th. XXXVI.

Pertinet hoc etiam illa qvæstio, annon usu S. Cœnæ remissa  
censeatur Actio injuriarum? Negativam tuetur Amesius de Con-  
scient. l. 5. c. 3. an recte, subdubito: non enim valet hic vulgatum  
illud: Der Personen Freund/ der Sachen Feind. Sane cum nu-  
dam vindictam perseqvamur, non poterit seria fuisse communi-  
cantis pœnitentia, Vid. Dn. Stryk. Tr. de Jur. Sens. Disp. 9. c. 4. n. 25.

### Th. XXXVI.

Retorsionem quoque Actionem injuriarum tollere, moribus comprobatum est: Quapropter dehinc inferunt, ergo retorsio est licita, insigniter falluntur; quod enim actionem tollat, inde sit, quia indignus est Magistratus auxilio, qui sibi ipsi jus dicit, & privatim suum honorem defendit. Nunquam igitur in jure nostro justa dicitur retorsio, quamquam eadem sit impunita, quovadum referenda est L. 25. ff. de Procur. & L. 14. §. 6. de bon. Libert.

### Th. XXXVII.

Ad quasi delicta nunc transcendum, quae regulariter ex factu alieno illico nobis imputato nascuntur. Ubi primo loco se sitit quasi delictum, si judex item suam fecerit; Hic enim imperite judicando, transit in locum illius, quem male absolvit, & sic auctori ad omne damnum resarcendum tenetur. Unde hodie actione ex syndicatu conveniri potest, vid. Paris de Puteo Tr. de Syndicatu.

### Th. XXXIX.

Cum igitur judex propter suam Imperitiam ex quasi delicto puniatur: Cur medicus ob suam imperitiam ex vero delicto puniri debet, ut id thesi xix. asservimus? Scilicet desperarunt hic jam quidam, in danda diversitatis ratione: ita ut judicem tandem etiam ex vero delicto teneri existimaverint. Donec l. 15. c. 27. in fin. Alii vero Medicum quoque ex quasi delicto obligari contendunt; Nos autem hanc diversitatis rationem substituimus: Quia medicus male secans aut curans, directo damnum dat, adeoque vere delinqvit: non item Judex.

### Th. XXXIX.

Quod si filius familias judex item suam fecerit, ipse actione in factum tenebitur per L. 15. ff. de judic. non vero pater per L. 1. §. 7. ff. de his qui deiec. Quod adeo extenditur, ut neque actione de pecu-

peculio conveniri possit pater *L. 58. de R. J.* Ratio est, qvia peculia ad contraheadum, non ad delinqvendum dantur. Plane si filius ex hoc quasi delicto condemnatus fuerit, actio judicati contra patrem dabitur peculiotenus per *L. 3. §. 41. & seq. ff. de pecul.* Idem asserendum de reliqvis quasi delictis.

#### Th. XL I.

Elegans adhuc quæstio exinde resultat, annō pater si filius ita condemnatus & peculiis plane destitutus sit, legitimam jure N. debitam ad solvendum suppeditare teneatur? Qvod omnino negandum, qvia legitima vivo patre non debetur, & sic ad eam præstandam spater invitus compelli nequit.

#### Th. XL II.

Alia quæstio est, si pater sponte solverit, in qvod filius ex quasi delicto condemnatus, annō hoc in legitimam impunitare possit? Qvod affirmo ex ratione, qvia hic non favore sed odio dignus est filius. Adeoque etiam conferre hos sumtus tenebitur filius, per ea quæ habet. Dn. Stryk. Tr. de success. ab intest. Disp. XI. c. 4. §. 18.

#### Th. XL III.

Plures in eodem cœnaculo, ex qvo aliquid dejectum, habentes, singuli in solidum tenentur, ita tamen ut unius præstatio reliquos liberet, per *L. 1. §. fin. & LL. seqq. ff. de his qui effud. vel deiec.* qvia hic ad interesse agitur, qvod semel tantum exigi potest per *L. bona fides 57. ff. de R. J.* Hoc casu vero probe distinguendum, an plures illi pro indiviso in eodem cœnaculo habitaverint, an vero pro diviso: Ut priori casu assertio nostra procedat: Posteriori casu tentum ille teneatur ex cuius parte quid dejectum est. dd. *LL.*

#### Th. XL IV.

Actionem de recepto ex quasi contractu esse, quamvis negetur

getur a Stypmanno de jur. marit. p. 2. c. 15. n. 266. Cum quo facit Bacchov. in Comment. ad L. 1. §. 1. b. t. pag. 1292. & 1296, verius videtur, qvia exercitores navium, cauponarum & stabulorum, eo ipso quo res in navem vel cauponam inferri patiuntur, tacite illas salvas fore promississe censentur. Posset tamen & hic verus contractus concurrere, si advenia expreſſe rebus suis securitatē stipuletur,

Th. XLV.

Actionem in factum adversus nautam &c. qvæ ad du-  
plum datur, hodie cessare, asseritur a Vinnio Granviegio Gudelino  
aliisqve sed ex illa suppositione, ac si hodie pœnas dupli,  
tripli & quatrupli non habeamus, vid. Tabor. racmat. 7. Th. 37.  
Qvicquid ejus rei sit, cum in actione de receptis actor nihil  
amplius probare teneatur, qvam illationem rei suæ, & sic nauta  
&c. conveniri possit, a qvocunqve damnum mihi datum fuerit,  
in actione in factum vero præcise probandum sit culpa fami-  
lia rem periisse, qvod probatu difficultimum, omnino satius est,  
recurrere ad illam actionem, qvam ad hanc, cum insuper  
illa etiam heres teneatur, hæc vero ad here-  
dem non transeat.

S. D. G.



94 A 7387



V317



B.I.G.

19  
18  
17  
16  
15  
14  
13  
12  
11  
10  
9  
8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

14

XIV.

15

D.B.V.  
II PUBLICI  
TATIO XIV.

De  
TIS PRI-  
ATIS,

*Ad*  
*q. Lib. IV. Inst.*

Qvam  
FRIDERICIANA,

PRÆSIDIO

MUELIS STRYKII,

Prof. Publ. Extraord.

*istorio Majori*

A.R. S. MDCXCIII.

e ventilationi

submittebat

DR SWANT,

sw. Pomer.

HALÆ,

ELDII, REGIMINIS ELECT. BRAND.

YPOGR.